

49781.

5

D. O. M. A.

DISPUTATIO

PUBLICA

De

ORIGINE ET  
PROGRESSU  
DIALECTICÆ

PRÆSIDE

M. DAVIDE CASPARI

Phil. Prof. & Scholæ Rectore

RESPONDENTE


DANIELE TITZMANNO

RIGENSI

habebitur

IN GYMNASIO RIGENSI

Die VIII Julii M. DC. LXXX.



Typis Bessmesserianis.

VIRIS

*Magnificis Per-Strenuis Nobilissimis Amplis-  
simis Consultissimis Prudentissimis*

DNO BURGRABIO  
REGIO


DNIS CONSULIBVS  
ET RELIQVIS

INCLYTÆ REIPUBLICÆ RIGENSIS  
DNIS SENATORIBUS

Dominis Patronis Mæcenatibus  
ac Promotoribus meis omni honoris  
cultu prosequendis

*Primitias hasce Philosophicas, & Re-  
staurati Gymnasii, & meas, in cer-  
tissimum debita subjectionis Signum  
& perpetuam mei commendatio-  
nem humillimè*

Est. A



D. D. D.

Daniel Titzmannus  
Respondens.



I.

Dialecticam Prometheo immediatè à Diis communicatam, antiqva fuit traditio, cujus Plato in Philebo meminit: Unde Jamblichus Epist. ad Sopatr. Dialecticam expressis verbis θεῶν δῶρον vocat, quanquam, à quonam Deorum aut Dearum cœlitus sit demissum, ipse, se ignorare, dicat, Epist. ad Dexipp. cum suo tempore alij Mercurio, alij Calliopi tulerint acceptum. Confer. Stobæus Serm. CCXI. Sed cum fabulosa hæc opinio Poëtarum Theatro, quam Philosophorum Cathedræ, convenientior jam olim multis judicaretur, non sine explosione tandem dimissa est. Quandoquidem ergo, ut artes reliqvas, ita Dialecticam quoq; Dei beneficio mortalibus obtigisse, nemo dubitare poterat aut debebat, hinc, præsupposito remotiori isthòc principio, propius itum, atq; de Dialecticæ inter homines Inventore quæri cœptum est. Sed optimo conatui non nisi serò felix respondit eventus: neq; enim primis statim vicibus natales Dialecticæ tam claros reddidere Inqvistores, quin aliquibus hinc inde nubeculis obfuscarentur. Unde aliquamdiu vexatas inter hæc remansit quæstio.

II. Videas, aliquos inventionem Dialectices ad Adamum retulisse, alios ad Mosen, ad Salomonem alios; nec Jobi, invenias, oblitos, quem, ut amicos suos Interrogantium partes sustinuisse, nimis acerbè expertus est, ita Respondentis muneri non defuisse, satis liquet.

Vid. Hieronymus Epist. CIII. ad Paulin. & Ambrosius Lib. I. de Offic. Cap. XII. Verum sicut hisce Dei viris cognitionem artis Dialecticæ lubentes concedimus, ita, à quoquam eorum Scientiam de hac arte literis consignatam atq; posteritati traditam fuisse, hætenus ex Historia non deprehendimus. Is autem inventor artis & facultatis alicujus nobis dicitur, qui Scientiam de eadem, debitis à semet elaboratam atq; digestam præceptis, posteritati reliquit. Nonnulli Zenonem Eleaten primum Dialecticæ Inventorem existimant, Diogeni Laertio fisci, Lib. VIII. de Vitt. Philosop. in Vit. Empedocl. ex Aristotelis Sophista, qui tamen hodie non exstat, idem confirmanti. Quidam Socratem Inventorem ejus agnoscunt, quoniam ipsius tempore increbuisse dicitur Usus definiendi, ut est apud Aristotel. Lib. I. de Part. Animal. Cap. I. & quod ipse *εὐλόγως* quæsierit *τὸ τί ἐστὶ* Lib. XI. Metaph. cap. IV. Alij Platonem facultatis hujus Authorem salutant, quòd sæpius in Scriptis suis *τέχνης λόγων & δυνάμεως τὸ διαλέγεσθαι* mentionem faciat, nec paucas insuper ad Dialecticam facientes contineat doctrinas. Sed demus recensitis hisce Philosophis, quod lateres, trabes, tegulas comportaverint, an ipsam statim domum Dialecticam construxisse dicendi erunt?

III. Alij deniq; Inventionem Dialecticæ Aristoteleli deferunt, inter quos ex antiquioribus etiam Averroës Proëm. in VIII. Libb. Physicor. numeratur. Hæc postrema sententia optima, quia certissima. Ipse Aristoteles isthanc sibi vendicat solertiam: *ὡς δὲ τὸ συλλογίζεσθαι*, inquit Lib. II. Soph. Elench. Cap. ult. *παντελῶς ἔδεν εἰχομεν πρότερον ἄλλο λέγειν, ἀλλὰ τερβῆ ζητῶνες, πολὺν χρόνον ἐπόνεμεν.* i. e. Argypopilo Interprete: *De hac autem differendi*

*rendi ratione, nempe Dialectica, nil planè habuimus, quod alijs acceptum referamus, sed nos longò usù singula inquirendo multùm temporis magno cum labore consumpsimus. Confer. Cap. integrum. Neq; arrogantia, multo minus mendacii, hic incusandus est Philosophus. Novimus, & ante Aristotelem egregios fuisse Disputatores; ecqvis enim Zenonem, Socratem, Platonem, meritâ laude privaret? at nemo tamen ipsorum rationem disputandi in justam methodum unquam redegit, sed idem fere, quod Gorgias, teste Arist. l. c. in docendo institutum secuti sunt singuli. Uti enim hic ad perorandum, ita illi ad disputandum, orationes ediscendas discipulis tradiderunt de iis rebus, in quas sæpius suos utriq; sermones induxerant; unde factum est, ut discipuli celeriter quidem, sed citra ullam artem tradita addidicerint. Illi enim ita demum se rectè docere existimarunt, si, omisâ arte, ipsum artis opus proponerent; ut, si quis profiteatur, artem se traditurum, quâ, ne quis posthac pedes offendat, effecturus sit, ac postea non futoriam doceat, neq; unde parari possint, quæ ad eam sunt necessaria, ostendat, sed magnam calceorum omnis generis multitudinem proferat. Sanè, qui hoc fecerit, ad usum quidem profuit, artem autem ipsam non attigit: Ita nec illi, qui ante Aristotelem occupati fuere in Dialecticis. Quod antecessorum nemo, Aristoteles feliciter ausus, universam de arte Disputandi Scientiam, octo libris Topicorum & duobus Sophisticorum Elenchorum comprehensam, calamo in mente tincto, conscripsit & magno studiosæ Juventutis bono reliquit.*

bris Topicorum, sed duobus etiam Sophisticorum Elenchorum, Dialecticam ab Aristotele inventam comprehendere diximus: quod enim nonnulli posteriores hosce è corpore Dialectico exterminandos putarunt, male putarunt, & præter mentem ipsius Philosophi. Non, sanè, scopus Tractationis istius est, modum tradere, quò alios possimus decipere & irretire, sed docere, quomodo sophistarum cavillationes commodè queamus eludere atq; evitare. Nemo enim, siquidem Vir bonus fuerit, eò operam confert, ut falsa doceat, juxta Aristot. Lib. VIII. Top. Cap. V. rationem Plato reddit hanc, quod falsum in sermone sit *μίμημά τι τῶ ἐν ψυχῇ παιδήματι* & καὶ ὕστερον γεγονὸς εἰδῶλον, *imitatio quædam passionis ejus, quæ est in animo, & posterius procedens simulacrum;* falsum autem in animo habere, cum, ut addit, ἄγνοια, *inscitia*, sit, nemo optat, sed omnes odere. Lib. II. de Republ. in fin. Absolvit ergo Doctrina de Sophisticis Elenchis *δύναμιν* Dialecticam, præmonendo, ne quis fallaciis decipiatur, & ostendendo, cur & quomodo decipiant Sophistæ; quod nisi faceret, discentes in cognoscendo vero multum impedirentur: nihil enim veritatis cognitioni magis officit, quam Sophistarum argutiæ, uti passim docet Aristot. in primis verò Lib. VII. Ethic. Nicom. Cap. III. Neq; sufficit ἀορίστως & potestate hanc Doctrinam jam tum contineri in Dialectica S. Topica, sed, more in disciplinis usitato, ad ἀρισμένον τι omnia decet referre, nî occinentem tibi velis audire Horatium Art. Poet. v. 25.

Brevis esse laboro,

*Obscurus fio.*

Appositè Galenus: *Veritas, inquit, paucissimis quidem est contenta, crescit tamen fides, quando non solum veritatem cognovi-*

*gnoovimus, sed etiam paralogismorum causas.* Ex autem, respectu Dialecticæ, in Opusculo Sophist. Elenchor. accuratissimè deteguntur; cur ergo hi à Dialecticâ separarentur?

V. Quid? quod ipsius Aristotelis Doctrinam atq; praxin intuentibus Inductione notum fiat, Contrariorum eandem esse Scientiam; maximè verò, ejusdem facultatis esse, videre, quid sit verum, & quid sit simile vero. Confer. Lib. VIII. Physic. Cap. I. III. Metaph. Cap. II. I. Rhetor. Cap. I. Ideo enim in Rhetorica non tantum vera formandi enthymemata modum tradidit, sed & adumbratorum naturam patefecit; & in Analyticis non solum de genuinis Syllogismis, sed etiam de Paralogismis & Pseudographematis tractat: In Ethica item non tantum de vera amicitia agit, sed etiam de fucata, & in Politica non de rectis tantum Rerumpublicarum formis differit, verum etiam de corruptis: Quod si hoc? ejusdem quoq; facultatis erit videre, quid sit ἀληθὺς ἔνδοξον, & quid sit φαινόμενον: at prius omnium consensu, ad Dialecticam spectat, ergo & posterius. Atq; hinc, ipse Aristoteles Dialecticam & Sophisticam non δυνάμει, facultate, sed βίῃ περιήρσει, vita electione differre docet Lib. III. Metaph. Cap. II. Potentia enim in Dialectico eadem est, quæ in Sophista, differunt autem solum consilio & vitæ instituto, quod honestum est in illo, in hoc inhonestissimum. Scilicet differt Dialecticus & Sophista, ut medicus & veneficus, quâ scitâ similitudine textus hic Aristotelis ab Interpretibus illustrari solet; Neq; enim nescit Medicus ea, quæ veneficus novit, sed æqvè aptus est toxica miscere atq; hic; differunt tamen vitæ consilio: Nam Medicus, quippe vir bonus, salutem ægroti spectat, veneficus autem, quippe impro-

bus, agris arte suâ perniciem struit: Ita æquè fallere novit Dialecticus atq; Sophista, verùm ille, cum vir bonus sit, non fallit, Sophista autem, vir malus, utiq; & fallere novit, & fallit; jam enim pudorem & honestatem devoravit. Confer Lib. I. Rhetor. Cap. I.

VI. Quin, ab ipso Aristotele sub titulo Librorum Topicorum citatur, quod in Elenchis demum invenitur. Nam Lib. II. Prior. Anal. Cap. XIX. ait, se de modis imponendi per πρόσθεσις. πῶς τὴν μὴ παρὰ τῶν ἐγίση ἐν τοῖς τοπικοῖς; nullibi autem in Topicis id deprehenditur, sed in Sophisticis Elenchis Lib. I. Cap. IV. & Lib. II. Cap. V. fuere ergo ipsi Aristoteli Libri Topici ac Sophistici unum ac indivulsum opus. Deniq; observanda venit Aristotelis consuetudo, quâ perpetuitatem operis indicare solet exordio & epilogo sibi invicem respondentibus. Ita opus Analyticum his omnino verbis orditur: *Initio dicendum videtur, quid sit, in quò versatur hæc nostra commentatio, quâq; de re sit suscepta. Versatur autem in Demonstratione ac de Demonstrandi scientia est instituta.* Lib. I. Prior. Cap. I. & cum demonstratio sit perfectissima syllogismi species, Cap. III. addit, *ante demonstrationem de syllogismo, in genere scil. agendum esse, eò quod hic latius pateat.* In penultimo autem Cap. Lib. II. Posterior. ita concludit: *Ac de Syllogismo quidem & Demonstratione, & quid sint, & quomodo conficiantur, hætenus dictum est, ex quo quid, qualisq; sit scientia Demonstrativa intelligitur.* Quæ clausula satis inluit, Priora atq; Posteriora Analytica indissolubili societate atq; nexu coherere, Eandem verò consuetudinem etiam observavit in Dialecticis, quod patebit, si ingressum Librorum Topicorum, et exitum Sophisticorum Elenchorum intueamur. Ait enim Aristoteles  
Lib. I.

Lib. I. Top. Cap. I. *Tractationis istius propositum esse, invenire methodum, quâ & de omni questione propositâ ἐξ ἐνδοξῶν quis possit differere, & nil repugnans, si quid in Disputationibus defendendum sit, afferre.* Quæ autem hic dicenda proposuerat, non Libro octavo Topicorum, sed II. demum Sophisticorum Elenchor. Cap. ult. al. VIII. his verbis concludit: *Hoc igitur à principio diximus, fuisse nostrum institutum, ut inveniremus facultatem quandam differendi de quacung; rê proposita, ex ijs, quæ essent quam maximè probabilia.---* quia verò huic adjunctum est, ob Sophisticæ affinitatem, ut non solum possit quis experiundi causâ alterum probabiliter interrogare, sed etiam, ut scientiam rei præ se ferat, propterea non tantum illud, quod modo dictum est, posuimus hujus artis officium, sed & ut, si quando à nobis exigatur ratio de eo, quod defendendum in disputatione suscepimus, constantissimè ac sine ullâ repugnantia thesî nostram tueamur, idq; ex ijs, quæ sunt ἐνδοξότατα. Aristotelem ergo Inventorem esse Dialecticæ, eandemq; cum doctrina de Sophisticis Elenchis unam constituere Disciplinam, ex hæcenus dictis constat.

VII. Quæ verò fors pretiosum hoc inventum, jam inde ab ortûs sui tempore, ad nostram usq; ætatem manserit, Historia testatur Philosophica. Vix edita erat ab Aristotele Dialectica, cum mox eruditi certatim eam amplecterentur & commentarijs illustrarent. De Eudemo, Phaniâ, Theophrasto & reliquis ipsius Aristotelis Discipulis, quos Octavianus Ferrarius Lib. de Serm. Exoter. & Acroam. p. m. 74 seq. ex vita quadam Aristotelis antiquitus conscripta, cujus caput Svidas quoq; in Lex. retulit, recenset, dicere non attinet, quòd ex supersticibus fragmentis non obscurè colligitur, Libros eorum vel explicationes fuisse Librorum Præceptoris

ptoris, vel, si quid discrepans habuerunt, id ætatem ferre non potuisse, & unà cum ipsis Libris perijsse. Cicero autem, Romanorum Doctissimus atq; Eloqventissimus, quanti hanc Logicam æstimarit, vel inde apparet, quòd, posteaquam Sylla, Consul Romanus, qui in Attica & Achæia adversus Mithridatem, Ponti Regem, pugnaverat, Aristotelis Opera Romam deportasset, ipse in gratiam C. Trebatij Icti compendium ex Aristotelis Topica conscripserit, Oratoribus maximè inserviens, in cujus Præfat. §. 2. hæc habet: *Cum omnis ratio diligens differendi duas habeat partes: unam inveniendi, alteram judicandi: utriusq; princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit.* Nec florente solùm Romano Imperio, verùm etiam declinante, honos suus Dialecticæ habitus est. Quamvis enim Bartholom. Keckermannus Præcognitor. Logicor. Tract. II. Cap. II. §. 19. scribat: *post Ciceronem usq; ad Trajani tempora Logicum nil memorabile scriptum legere se in historijs;* novimus tamen, Alexandrum Ægeum, Neronis Præceptorem, desertâ Stoicorum Dialecticâ, spinosâ magis quàm integrâ, atq; repudiatâ Collegæ sui, Senecæ, Philosophiâ, non Peripateticam solùm amplexum esse Familiam, verùm etiam tùm alia, tùm Logica Aristotelis Scripta interpretatum. Videtis Joh. Ludovic. Havenreuterum, virum in Antiquitate Philosophica versatissimum, Præfat. in Zabarella Opera Logica. Sub Antoninis autem Galenus & Alexander Aphrodisiensis nil habuerunt antiquius, quam nostram explicare Logicam. Horum vestigiis institere Porphyrius, Themistius, Ammonius, Simplicius, Philoponus & alij, quibus aggregandus vel hæc, vel paulo superiori ætate, Severinus Boëtius, Consul Romanus, qui et ipse symbolam suam, latino licet sermo-

ne ad interpretationem & explicationem Dialectices fideliter contulit.

VIII. Græcos & Latinum Arabes exceperunt, atq; inter istos imprimis Avicenna & Averroës, qui Aristotelis Dialecticam prolixis Commentarijs declararunt. Hi tamen, cum non legissent Aristotelem in suâ origine, sed ab Arabibus, Græciam jam occupantibus, in Sermonem Arabicum, at perperam, conversum, quin, ut Ludovicus Vives Lib. V. de Causis Corruptar. Artium p. m. 180 prodit, *ex Latino in Arabicum transvasatum*, non potuerunt non insperfas Aristoteli mendas cumulare, adeòq; cum alias disciplinas, tum Dialecticam, inviti quancquam, magis depravare. Hinc Dialectica devenit ad Scholasticos, magnos quidem & ingeniosos viros, sed qui, quicquid sapuère, illud omne Arabibus acceptum ferre cogebantur. *Profectò, quicquid Latini scripserunt postquam illos inscitia sua monuit Arabum industria, id totum Arabibus acceptum debent, Philosophiam, Medicinam & Mathematica.* Nam nullum Græcum scriptorem habuerunt, quem non in Arabicam Linguam prius, deinde ex Arabica in Latinam translatum legerint, inquit Josephus Scaliger Epist. CCCLXII. quâ de Arabum literaturâ agit. In pravas ergò Dialecticæ versiones &, secundum eas, minùs accuratè conscriptos Commentarios cum, solò Aristotelici nominis amore, avidè involarent Scholastici, non, nisi quantum ex scabra & hiulca interpretatione intelligi poterat, intellexerunt. Modicum id erat: Neq; verò, Græcæ Lingvæ rudes, ad fontem recurrendo, sitim suam poterant restringere: dum igitur in lacunis aquam corrigere studuerunt, magis turbarunt. Præterea subtilitates potius & fucum, quàm usum admirando atq; indagando,

inutiles ac prorsus alienas, Theologicas potissimum, Dialecticæ assuerunt quæstiones, ad quas eò subtilius movendas atq; ventilandas, rursùm multos novos, at infictos, imò barbaros planè & horrifonos terminos excogitarunt, quibus ad nauseam usq; Scholasticorum libelli abundant Dialectici. Fundamenta perversi hujus moris poni cœperunt Sec. XII. cùm à Magistro Sententiarum, Petro Lombardo, quod Aventinus Lib. VI. Annal. Bojor. p. 392. Edit. Franckof. de anno 1627. à Præceptoribus suis se audivisse scribit; tùm à Petro Abaelardo, cognomine Dialectico, de cujus ætate Trithemius Abbas scribere non dubitavit: *Ab hoc tempore Philosophia Secularis, Theologiam suâ curiositate inutili fœdare cœpit.* Quamquam verò in sequenti Sec. XIII. Thomas de Aquino, Magni illius Alberti major discipulus, de pravâ hac consuetudine conquereretur, confer. Prolog. Summæ Theolog. vix tamen ipse ab eadem immunis esse potuit: unde seqvaces, licet in diversas scinderentur sectas, in eò tamen conspirârunt, quod ad ineptias degeneraverint ferè singuli. Videas hinc Summulas Dialecticas, legas Interpretationes irrefragabiles, audias responsiones impenetrabiles, quot verò Sectas non agnoscas? hic Reales, ibi Nominales, hinc Thomistas, illinc Scotistas, porrò Occamistas deprehendes, & similes alios, qui, licet aliàs non nisi in discordia concordent, omnes tamen æqvè Dialecticæ sese jactant explicatores atq; interpretes.

IX. Dialectica ergo eandem, quam reliquæ Scientiæ, fortunam hos inter Magistros experta, & ipsa perversa, confusa, corrupta est. Et quî non? Utut enim belli hi Exegetæ legerint Aristotelem, *eundem tamen*, verba sunt Ludovici Vivis Comment. ad Augustin.

fin. de Civit. Dei Lib. VIII. Cap. X. ita legerunt, ut,  
 meliori rejectâ parte, ea, quæ retinetur, id cogatur loqui,  
 quod ipsi jubent, stultitias meras, quales, non dico Aristote-  
 les, sed nec quispiam illius temporis per furorem cogitavit.  
 Idem hic Lib. I. de Causis Corruptar. Artium p. m.  
 47. malevados hosce Doctores ita affatur: *Qui dicitis,*  
*Aristotelem vos disputando victuros: ne juretis ipsi, ego id*  
*pro vobis dejerabo, & quidem persanctè.* Nam quas artes  
 vos modo exsomniastis, quas nugas, & quidem ex illius, ut  
 putatis, dogmatibus, ipse, si revivisceret, non intelligeret,  
 ac ne suos quidem Libros, ut vos explicatis. Quibus fere  
 gemina habet Aventinus l. ante c. p. 383. Scholastico-  
 rum philosophandi rationem perstringens, qui & addit,  
*pestem Grammaticæ pariter ac Theologiæ per eandem invecam*  
*esse.* Pertinet verò huc etiam notabilis illa Bullingeri,  
 Calvini licet sectatoris, de ævi sui Scholis querela; in-  
 cidit enim hic in illa tempora, quibus Scholastici adhuc  
 ad clavum rei literariæ sederunt. Verba ejus Lib. XI.  
 de Funct. Episc. Cap. VIII. ita habent: *Prælegitur Pe-*  
*trus Hispanus, infelix & jejunus Dialectica Magister. Præle-*  
*gitur Porphyrij Isagoge, elegans quidem, sed malè reddita*  
*& exposita. Prælegitur deniq; Aristotelis Organon, nobilissi-*  
*mi in hac re artificis; sed, si rediret Aristoteles, non agno-*  
*sceret illam, quâ utuntur, versionem tam affabrè exornatam*  
*hujusmodi flosculis.* --- *Utuntur Interpretibus sive Expositoribus*  
*putidissimis, Tartareto, Bricoto, Scoto, & copulatis quibusdam*  
*terg, quaterg, ineptissimis: his fraudantur, frustrantur & se-*  
*ducuntur optima ingenia.* Nam nullus vel ex Præceptoribus  
 vel Discipulis genuinam optimi Authoris mentem ex talibus as-  
 sequitur Commentatoribus Et quod majori cum detrimen-  
 to studiorum conjunctum est, novator protinus dicitur, quis-  
 quis studia juvare & sinceriores Aristotelis Expositores, The-

*mistium, Alexandrum, Boetium, Argyropilum, Stapulensem ac hujus ordinis alios eruditos viros proferre in medium cupit.*

X. Gravissimo huic Dialecticæ morbo strenua opus erat medicina. Quærebatur Medicus; prodibat Raimundus Lullius, insuper Theologus, natione Hispanus, patriâ Majoracensis, in Civitate Palmânatus; isq; maturè satis prodibat, cum à plerisq; Chronologorum ad initium Sec. XIV. referatur. Vir excelsi ingenii, πάνσοφος à suis putatus, unde in icone quâdam κατ' ἐξοχήν Philosophum vocant, cum inscriptione scheda in ore: *Lex mea est ipse Dominus*, cumq; disticho:

*Doctrinam pandit Raymondus Lullius omnem,*

*Cui Deus infudit scibile quicquid erat.*

& referunt Ephemerides Eruditorum in Gallia ad anni M. DC. LXV. diem XXIII. Febr. p. 68. eum plura, quam quatuor voluminum millia composuisse. Cæterùm, quantacunq; arti Lullianæ decantentur encomia, emendandæ tamen nil profuit Dialecticæ, quam magis confudit & corrumpit. Etenim stuprator, non Doctor, nobilissimæ hujus facultatis Lullius, per plurimos circularum anfractus, per infinitos fere inutilium tabellarum atq; concameratarum literularum cancellos, adeoq; per varia figurarum monstra, quæ, si Hercules vidisset, interemisset, quâ viâ ad veritatem, eâdem ad mendacium comites suos adduxit. Medicus ergo fuit, sed qui artem agrotandi docuit; viâ dux fuit, sed qui in dubio itinere constitutis modum errandi monstravit; docuit quæstionem invenire, quæ sponte suâ subnascitur, etiam aniculæ bis bina nescienti. Ita inani sensuum incantamento Dialecticæ studiosos fascinavit, non juvit, plura artis suæ sectatoribus promisit, quam præsti-

præstitit. Quod nostrum de Dialecticis Lullii Doctrinis iudicium nemo quisquam facilè improbabit, qui ipsum hunc Protheum, omnî sepositò partium studiò, sollicitè inspexerit. Confer. Dannhauveri Præfat. in Dial. maxime verò Keckermannus Lib. II. Præcognit. Philosoph. Cap. V. nec non Tract. II. Præcognitor. Logic. § 39. Feliciùs sub medium ejusdem Sec. rem Dialecticam restituere tentavit Laurentius Valla, editis tribus Dialecticarum Disputationum Libellis, quem in sequenti Sec. XV. Ludovicus Vives, eleganti de Disciplinis opere conscriptò, secutus est: nisi quòd uterq; intemperantiùs quandoq; dicit in Aristotelem, cui vitia à Scholasticis, aut horum seductoribus, in tradendâ Dialecticâ, commissa malè imputat. Sed hunc errorem Marius quoq; Nizolius, ille Concordantiarum, ut sic loquar, Ciceronianarum Author, in Antibarbaro suo philosophico, ante hos sex annos in Germania primùm edito, erravit. Nihilominus & Vallam & Vivem sua manet laus, illum, quòd spinas Scholasticorum primus calcare aggressus est, hunc, quod Emanuelis Chrysoloræ, Georgii Trapezuntii, Theodori Gazæ, Bessarionis & Johannis Argyropili, qui circa tempora Constantinopolitani excidii, & paulo ante, philosophiæ exquisitori è Græcia subsidio venerant, adhibitis doctrinis, veram ad Dialecticam perveniendi viam aliis monstrare allaboraverit, ipse licet non sine titubatione eam ingressus.

XI. Dum felicibus hisce auspiciis Dialectica caput effert in Italia, ecce novum reformatorem in Gallia! Petrus Ramus is erat, natus anno M.D.XV. familiâ ex Eburonum Gente in primis illustri, at patre paupere; quò factum, ut à Literis stipendia petens, privatim primùm docu-

docuerit, post Professor constitutus in Academia Parisiensi Regius. Nec negamus, Virum fuisse acutò ingenio, studio indefessò, multiplici eruditione: usum tamen Præceptorum Dialecticorum, quem tantopere urfit & in aliis desideravit, ipsemet in suis Dialecticis, maximè posteriori, vix expressit; aliena potius addidit, propria omisit, imò confusum chaos proposuit, necessaria cum probabilibus & hæc cum fallacibus ἀπαίδευτος commiscendo. Ut hinc rectè Havenreuterus l. ante c. judicet: *Seminarium illud Anaxagoræ facilius, Democriti fortuito concursu, incerta concrefcere corpora, quàm hæc Ramea præcepta solerti mente ad accuratam redigi scientiam queant.* Scilicet, nimio adversus Sorbonam odio Ramus in transversum actus est. Cum enim ab Eadem inprimis vexaretur, quamlibet ulciscendi occasionem quæsit & facile invenit. Hinc cum textualem, more seculi, & Theologiam & Philosophiam docerent adversarii Sorbonenses, ipse maria montesq; pollicitus est, dummodo Aristotelici organi, cujus textibus illi potissimum niti vulgò credebantur, exilium obtineret. Quam turpiter autem se, suæq; adscriptos familiæ, fefellerit, & pro Junone nubem dederit; quàm malè, Aristoteleis subversis, alios terminos technicos substituerit, multiplicaveritq; adeò non scientiam, sed laborem, accuratissimus Scherbius Dissertat. pro Philosoph. Peripat. adv. Ramistas, quæ in Phil. Altorph. p. 10. & seqq. habetur, duo item Martini in doctissimis Commentariis Logicis, nec non Keckermannus Tractatibus superiùs citatis satis monstrarunt. Confer. etiam D. Zachariæ Ursini JUDICIUM de P. Rami Dialectica & Rhetorica ad Illustrissimum Principè Fredericum III. Electorem Palatinum &c. perscriptum, Anno M. D. LXX, quò hoc agebat Ramus, ut illas in Academi-

demiam Heidelbergensem induceret; habetur id, tam Latinò, quàm germanicò idiomate expressum, in frontispicio *Qvæstionum in Organon Aristoteleum.*

XII. Ramò in Eois Gallicis Anno M. D. LXXII. extincto, liberiori viâ in Galliam Dialectica perrexit, inde mox in ipsam Hispaniam translata; quantum enim Petrus Joh. Nunnescius, Turnebi Lutetiæ Parisiorum antea Auditor, & Joh. Baptista Monlorius, in Valentina Professores, isthoc tempore ibidem præstitierint in Logicis, nunquam eruditus orbis sine gratis agnoscet. Sed & Germania, inventâ fruge, glandibus vesci desiit: unâ enim B. Lutheri cum reformatione, reformatam ibi quoq; deprehendes Dialecticam. Nec parùm Academia Germanæ ab Italis hoc in negotio videntur adjunctæ: quæ enim signa Dialectica primi, aut saltem primis proximi, sustulerunt insignia illa seculi sui decora, Scherbius & Piccartus apud Altorphinos, Neldelius autem, & post hunc, Höpfnerus apud Lipsienses, non, nisi Italorum se debere victoriæ, ipsimet vix diffitentur. His velut gradibus ad dignitatis ἀκμὴν rursus ascendit Dialectica, vera scilicet illa, ab Aristotele olim inventa; quam nostrâ ætate Renatus des Cartes, Nobilis Gallus, frustra deturbare conatus est. Neq; enim viris cordatioribus atq; verè πεπαιδευμένοις perversâ dubitatione suâ hætenus satisfacit. Sed quid de Dubitatione Cartesianâ sentiendum sit, peculiari, volente Deò, Disquisitione videbimus. Qvod super est, monendum ducimus neqvis ea, quæ § VIII. & IX. de Scholasticis dicta sunt, præter intentionem nostram interpretetur. Nunquam enim in animum nostrum induximus, Scholasticorum Dialecticam è manibus Studiosorum penitus excutere, cum con-

flet nobis, eandem, ad Pontificiorum Theologos, imò &
 Nostratium quosdam, qui Scholastica sectati sunt, ritè in-
 telligendos multùm adferre momenti: id tamen fidei
 nostræ commissos seriò docemus, ne quis tyro Dialecti-
 ces aut Philosophiæ Scholasticos statim ad manus sumat,
 sed Aristotelicos intra cancellos tamdiu se detineat, do-
 nec filum *πυδείας* atq; *ἀνεβείας* proximè seqvi doctus,
 citra confusionis periculum intra multiplices istos laby-
 rinthos possit ambulare. Obfignet Disputationem no-
 stram D. Joh. Conradus Dannhavverus, Philosophiâ non
 minus quàm Theologiâ clarus, qui in Idea Boni Di-
 spuator, & malitiosi Sophistæ Sect. I. Artic. 3. §. II.
 *quis verò, è tanto librorum ac Præceptorum Dialecticorum*
*numero, à Dialecticâ Studioso sit eligendus?* quærit; & re-
 spondet hoc modo: *Ego sanè ingenuè fateor, tantâ Autho-*
*rum, qui Dialecticas scripserunt, multitudine confusum olim*
*plus fuisse, quàm adjutum, felicem verò illum diem prædico,*
*quò Aristotelis Organon ad manus sumsi. Meò igitur consiliò*
*nemo ancillarum amorem procabitur, quod ipsa Penelope fa-*
*cilem se præbeat. Peculiaris verò causa est, cur Disputato-*
*ri nostro, præsertim in arena Theologica constituto, Aristote-*
*les suadendus sit (cujus Logica quod disputationibus com-*
*modior sit, à Magno nostro Theologo D. Gerhardo, Præce-*
*ptore honoratissimo, in methodo Studii Theologici Philo-Theo-*
*logis commendatur) quòd scilicet ille nullarum partium sit Stu-*
*diosus, de judicio veritatis omne id dicat, quod lumen natu-*
*ra ei dictavit, nihil loquatur in cujusquam gratiam.*



## I.

Cum veritatis asseveratione dici potest, tam longè latèq; Dialectices usum sese extendere, ut neq; Theologus, neq; ICTus, neq; Medicus, neq; Philosophus eâdem commodè carere possint, nisi, dum se disputare putant, splendidè nugari velint singuli.

## I I.

Liberè decet philosophari: non tamen omnes, nec ita, ut nulla planè antiquorum habeatur ratio: nimia enim philosophandi licentia, ut mitissimè dicam, in stultitiam degenerat.

## I I I.

Physica & Astrologia ex mente Aristotelis, & cur non etiam veritatis? sunt specie distinctæ Disciplinæ: quicquid obvertant Recentiorum nonnulli.

## I I I I.

Musica Harmonica, ut vocant, prior est Organicâ, & antiquitate & dignitate.

Si veram spectes Derivationem, rectius *oppidum* quàm *oppidum* scribitur. Utrum autem formatô hinc adverbiô, *oppidò*, promiscuè, pro eo, quod est *valde multum*, uti liceat, esto problema?

## V I.

Hoc exemplum: *Hujusmodi Vir*, utrum ad Regulam pertineat: *Adjectivum & Substantivum* &c. dubitant nonnulli, nec penitus ἀλόγως.

## V I I.

Omnino aliud est Grammatica, aliud Grammatistica; quemadmodum aliud quoq; est Literatus, aliud Literator.

